







1794 nr. 4 fa identisch mit 4^c
" 4 bb " " 4 d
" 4 f ist fälschlich hinter 4 g ein-
gebunden.

1795

1. Honnelt, Christianus Gollub; Vid. juridici.
Lectori benevole s. p. dicit. (ad Reputacionem Frederici Alberti
Schmittii inserta) Exponendae Brevidem de jure ecclesiae
Scolasticis singularibus in munitis.
2. Klotzsch, Joannes Georgius Cordus: Whom photographia scripturae
interpretatur, quam commentavit Kumbler, admittit perit
in explicandis d. T.
3. Klugebier, Innesius Augustus Christianus: De lege commissoria
speciatim de praescriptione actionis ex ea datae
4. Hoptenauer, Innesius Fredericus: De judiciis, a quibus et a quae
procurare licet in terris Electori Saxoniae subjectis.
5. Stübel, Christophorus Cordus: De justitia p. usuram capi-
talem, quae in Saxoniam obtinet.
6. Stübel, [Stübel?], Christophorus Cordus: De jure literarum
illegitimorum succedendi in sectantibus, quorum paternam
secundum Saxoniae leges, artem patriciam, et non fori
Saxonici.

6 b Titius - 6 bb Titius,
6 c Titius - Neumann
6 d Titius - Seeburg

7. Triller, Conradus Fredericus: Observationum de paucis illarum que finibus ex placitis juris naturae recte auctoritatis specimen 6.
8. Wormdorffius, Theobaldus: Ord. jur. . . . Decanus: Auctor benevolae salutem (ad Disputationem in auro, Insuper Frederici Pfaltzgraviis iurata)
9. Wormdorffius, Theobaldus: Ord. jur. . . . Decanus: (ad Disputationem in auro, Caroli Salomonis Zuckariis iurata)
10. Wormdorffius, Theobaldus: Divinitatis, sive que disquiratur: An ex legibus secularibus, fructus industriales, maxima labore parte peracta, semper auctoritatis ceteris?
11. Wiersandius, Georgius Stephanus: De ritu jurandi manu sublata vel pectori imposta.
12. Wiersandius, Georgius Stephanus: Quaedam forensis quaedam Pœnalis contractus a feminis facti ut valida.
13. Zuckariis, Conradus Salomon: Originis comitiarum, quae in imperio sacro Romano-Germanico celebrantur.

1680 Bochner

1796.

1. Thommelin, Christianus Godefrid: De poena eius qui ex
mandato est iussu deliquit. 18 Kreysig - ~~Thommelin~~

10 Kreysig 10 Kreysig 10 Kreysig 10 Kreysig

2. Thalerger, Francus Augustus Hieronymus: De substantiis

2. Observatio huius in principiis iuris Germanici.

2. Fiskus - Lindenbergh

3. Wiesandus, Georgius Stephanus: Ord. ius Decanus: Lec.

hinc sacrodo saltem (ad Disputationem in ang. Consti-

Godefridi Bochneri in Ital.)

4. Wiesandus, Georgius Stephanus: Disceptationes juris

5. Wiesandus, Georgius Stephanus: De usu et effectibus iurijurandi

purgatorii (1797) Bochnerus, Georgius Rudolphus: De plantis
Aroniacis praesertim a Cavanilles dispositis.

1797 A. L. Hoffmann

1. Jungwirth, Godefridus Fredericus Christophorus: De iure sociorum

oneralitatis armatae contra Anglos.

2. Kluegel, Ernestus Gouffroy: Collegii iuridici Decanus:

1. l. v. (ad Disputationem in ang. Godefridi Frederici Christophori.

Jungwirth in Ital.) Tract: Iuris veritatem publice

2. Kluegel
2. Kreysig - Rennet

3. Zachariae, Cordus Solonus : Anulus infamiae a facto
sine acquiescenti sine retinendo prohibetur.²

4. Zachariae, Cordus Solonus : De libertate Romano est civis
liberis Germaniae olim concessa.

11. 108. 32
1798 7

OBSERVATIONVM
DE
POËNIS ILLARVMQVE FINIBVS EX PLACI-
TIS IVRIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS
SPECIMEN VI.

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
CAROLO FRIDERICO
TRILLERO

PHILOSOPHIAE ET IVRIS DOCT. NEC NON POET. CAES. LAVR.

EX NVMERO EORVM
QVI SVB EIVS AVSPICHS IN DISSERENDO ET SCRIBENDO
SE EXERCENT

DIE XXIII. NOVBR. A. R. S. MDCXCXV.

H. L. Q. C.

DISPVTANDI CAUSA ERVDITORVM EXAMINI SVMMITTET
IOANNES ZACHARIAS HILLIGERVVS

NIEDERGOERSDORFIO - SAXO.

VITEBERGAE,
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

OBSEVATIONUM

DE

FORNICATIONE ET ALIIS VITIIS
IN VITIA VITAE HUMANAE

SCRIPTA

ALBERTO FERDINANDO GRUBER AUCTORIS

BRASILIENSIS

CAROLO ERIBERICO

TRILLERO

PROFESSORE PRAECEPTORE ET DIRECTORE

IN ACADEMIA REGIA BRASILIENSIS

IN RIO DE JANEIRO

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

IN ACADEMIA REGIA BRASILIENSIS



P A T R I S V O

MAXIME VENERABILI AEQUE AC OPTIMO

M. IOANNI WILHELMO
HILLIGERO

DIOECESEOS SEYDENSIS SUPERINTENDENTI

NEC NON

FRATRI DILECTISSIMO

M. IOANNI WILHELMO
HILLIGERO

PASTORI SEIFERSDORFENSI

H O C

SPECIMEN ACADEMICVM

I N

ANIMI PII AC GRATISSIMI INDICIUM

D. D. D.

REVERENTIA ET FIDE ADDICTISSIMVS
IOANNES ZACHARIAS HILLIGER.

PARTI 270

ANNO 1770

M. JOHANN WILHELM
HILGNERO

OPUSCULUM

NO. 270

TRATI DILECTISSIMO

M. JOHANN WILHELM
HILGNERO

OPUSCULUM

SECCIMEN ACADEMICUM

VI

ANNO 1770

N. 270

OPUSCULUM





§. 24.

Ex poenarum finibus, qui minus principales dicuntur, delinquentis emendatio, ut praecipuus, attendi debet.

Iurisprudencia criminalis occupatur in passionibus et doloribus, quibus singuli ob malum actionis affiendi sunt, ut omnium salus conseruetur. Cum igitur in hoc fine obtinendo opus sit poenis, tanquam remediis, haec vero partim mitia, partim violentiora, esse possunt, ipsa naturalis ratio suadet, priora, si modo sint efficacia, posterioribus esse praeferenda. Hinc emendatio moralis, quae versatur in facinorosis corrigendis illorumque moribus emolliendis, ut in posterum feros esse non sinat, ex secundariis finibus, merito ut optimus et nobilissimus praedicatur. *) Ut vero poena sit efficax, et spes emendationis non vana deprehendatur, ea eligenda est, quae vim habet, ut ipse reus iudicio suo conuictus, actionis admittae agnoscat turpitudinem, illam detestetur, simulque in posterum a simili delicto

A 3

de

*) Vid. Ill. MICHAELIS in I. Mos. P. VI. p. 142.



deterreatur. Sed sola territio non proficit, ^{b)} nisi eam antecedit via et solida actionis malae cognitio, vt, ex mente PLATONIS, ^{c)} ipse iniustitiam perpetuo quasi odio persequatur. Quae omnia quo feliciori effectu gaudeant, exacto iudicio ponderandum est, vtrum emendatio sperari possit, nec ne. Quam ob rem poena haurienda est ex ipsius delicti natura et qualitate, respiciendum est ad delinquentis indolem, vitae genus, et diuersam sentiendi rationem, et in foro ciuili etiam ex reo quaerendum est, an iam semel delictum commiserit, illiusque poenam subierit, quod si patet, pertinacia quasi delinquendi, emendationis spem frustraneam reddit. Iam Spho 20, diximus, poenam instar medicamenti esse habendam, quod validum esse debet ad sanitatem integram restituendam, ne morbus recidius sit metuendus. Vti enim morbi physici, ex causa sua minus recte curati, facilius redire, et curationem reddere solent difficiliorem, ita animi vitia efficiuntur inueterata, si in eis sanandis remedia validiora sunt neglecta, quae quidem vim illorum ad tempus supprimunt, causam vero atque originem, vt ignem, sub cinere gliscentem, relinquunt animo remanentem. Omne remedii genus igitur morbo debet esse accommodatum, vt vim habeat causam morbi intrinsecam infringendi. Et vti medici interdum vrendo et secando in aegroti vtilitatem medicinam insitunt, ^{d)} pari ratione animi curatio dolore coniuncta, immo interdum violenta, esse debet, quamuis in commodum delinquentis tendat. *Castigatio sincera*, praecipit SENECA, ^{e)} et cum ratione aliquando necessaria est. Non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quaedam hostilia detorta, vt corrigamus, adurimus, et adactis cuneis, non vt frangamus, sed vt explicemus, elidimus: sic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. Hinc PLATO ^{f)} eum, qui poenas non luat, *miseriorem* esse dicit; minus

^{b)} vti recte concludit Ill. v. SODEN, in lib. *Geist der Deutsch. crim. Gesetze*, P. I. §. 60.

^{c)} de LL. Lib. XI. p. 977. ἡ το παρασκευασμένη τὴν ἀδικίαν αὐτοῦ.

^{d)} Ita XENOPHON in *coloyr. ad Milit.* Lib. V. c. 7. §. 5. δicit: ἰατροὶ τετρακεσε καὶ κηροσὶν ἐπ' ἀγυδαῖς.

^{e)} de Ira, Lib. I. c. 5.

^{f)} In *GORG.* p. 225 et 226.



nus miserum vero, si luat, addita ratione: qui poena afficitur, a prauitate animi liberatur. Non est, quod moneam, hanc reum emendandi spem concipi solum posse in poenis non capitalibus, quia irritum est, aliquem in talem statum redigere, in quo nullum emendationis specimen amplius exhibere potest. ^g) Iniustum sane foret, poenam ultra mortem extendere, si salua salute communi, rei correctio sperari potest. Subscribimus potius sententiae QUINCTILIANI ^h) ita inquit: *nemo dubitabit, quia si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, saluos esse eos magis, et republica sit.*

§. 25.

De poenis, finem emendationis impediuntibus.

Ex his, quae §pho antec. sunt praemunita, facile demonstrari potest, poenas eas esse abrogandas, quae emendationis finem vel non attingunt, vel impediunt, quominus sperari possit. Quibus imprimis accendendae sunt, quae infamiam, relegationem olim frequentius imponebant, vel quae in mutilationibus membrorum, stigmatisque inuisionibus, consistebant. Exemplum enim satis edocuerit, infamiam irrogatam, homines non meliores, sed deteriores, reddidisse. Nam hac poena affectus, omnium contemptui publice exponitur, ab omni humano consortio exclusus, turpi et dissolutiori vitae generi affuescit, quod honestiori omnem in posterum praecludit viam. Signa emendationis viuendi rationis edere impeditur, neque poenitentia ductus, cum societate, quam factio illicito violauit, in gratiam redire potest, vbiunque enim locorum, omni quasi spe destitutus, vagatur. Ex proposito delicta delictis aggrauat, cupitque vitam, quae ipsi fuit *supplicium*, morte, quam pro *solatio* habet, finire ⁱ) Ex iisdem pariter argumentis relegatio finem poenarum non adimplet, potius eum negligit. Relegatus quidem locum, sed non mores mutat,

^g) Ita PAVLVS in L. 20 *π.* de poen. dicit: *emendatio, mortuo eo, in quem constituitur, desinit.*

^h) Lib. XII. cap. I. Instit. orat. §. 42.

ⁱ) vid. THOMASII Diss. an poenae infamantes sint absurdae et abrogandae, 1723.



tat, aliisque in locis tranquillitatem aliorum turbare pergit. Inde recte argumentatur Ill. v. SODEN, ^{k)} relegationem respicere modo com-
modum singulorum, quod ideo *individuale* vocat, quia ratione illius
corporis magni, de quo Spho 27. locuti, singulae nationes, ut mem-
bra in catena, inuicem cohaerent. Ita etiam mutilationes mem-
brorum, olim a barbaris gentibus receptas, nos hodie merito detesta-
mur, partim quia non emendant, partim quia punitus ipse, abscissio-
ne illius membri, quo peccauit, inutile membrum societatis huma-
nae efficitur. Rationes denique, quas contra poenas, ante recensitas,
protulimus, multo magis militant contra inuisiones stigmatis, quibus
certa signa, litterarum, quae delictum commissum indicabant, impri-
mebantur. Eiusmodi poenae vero vestigium triste et contumeliosum,
immo infamiam iniustam, semper relinquunt, quod nullum tempus
abolere potest, ideoque maiori incommodo, poena infamiae simpli-
citer irrogata, laborant. Quam ob rem leges in plerisque locis illas
reiciunt, et iam CONSTANTINVS M. in l. 17 C. de poen. poenam legis
Remmiae, ^{l)} ex qua calumniatoris fronti littera *K* inurebatur, fustulit,
et quidem ex ea, *ne facies, quae ad similitudinem pulchritudinis coele-
stis est figurata, maculetur*, ratione, quam b. HOMMELIVS ^{m)} ridicu-
lam dicit, ea tamen Auctorum Vett. testimonio comprobatur, qui in-
primis ex facie praestantiam hominis prae ceteris animantibus magni
aestimabant, de qua re ita OVIDIVS ⁿ⁾ canit:

*Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
O homini sublime dedit: coelumque tueri
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.*

Nostris

- k) loc. cit. §. 54. p. 109. et BECKERI Diss. an poenae fustigationis cum per-
petua releg. coniunctae sint reprobandae, 1759.
l) Elegantem ad hanc L. comment. fecit BRECKMANNVS, quae Thes. Ott. T.
III. inserta; ad quam poenam, ut ita dicam, *litteralem*, pariter alludit
CICERO pro Rosc. Amer. Cap. 20. et ipse PAFINIANS opponit hominem
intrae frontis, calumniae damnato. Vid. MASCOVIVS in Diss. de stig-
mate fac. hum. non inuendo.
m) in Obl. §46. pag. 940.
n) Met. I. v. 84. ita et SALVSTIVS bell. Caril. p. 3. *pecora natura prona su-
xit. CICERO de LL. Lib. I. natura solum hominem erectis, ad coelum
quasi cognationis domiciliique pristini conspectum exciuit.* Idemque de
nat. Deor. Lib. I. c. 27. conferendus est.

Nostros tamen temporibus apud moratiores ex hac praecipua causa eiusmodi iniustae maculae reprobantur, quia reum non meliorem efficiunt, neque societatem securam praeslant, siue in aliqua corporis parte conspicuae, siue sint occultatae, ut ipse Imp. Constantinus hoc in suis fieri posse in *add. L.* permittit. Ne vero finis emendationis negligatur, cautelae obseruandae sunt, quarum prima est, ut poena ex causa delicti commissi repetatur, quae reum de turpitudine facti illiciti conuincat. Ita aedes publicae operis manualibus destinatae, quibus fur in poenam detinetur, eum optime docere possunt, turpem esse desidiam, quae furti committendi causa et incitamentum fuit. Altera denique est, ne poena longius in tempus differatur, vel plane remittatur. Poena enim lenior, sed celerior, quae delicti cito sequitur, maiores exerit effectus, quam grauior, cuius fit sero executio. Inde recte suadet *SENECA*,^{o)} puniendum iudici, tanquam medico, festinanter esse offerendum, *ne inueteratus iniuriae morbus sic insiciat animum, ut insanabilem reddat.*

§. 26.

Quatenus delinquens poena capitali sit afficiendus?

Poenae emendatrices sunt instar medicinae, quibus animus a vitis sanatur, modo ita sint efficaces, ut restitutio sanitatis amissae sperari possit. Vti enim morbi physici interdum vel omnem curationem respiciunt, vel indigent remediis violentioribus, ita et in moralibus morbis, i. e. delictis puniendis, opus est poenis, pro grauitate delicti exquisitoribus. Hinc contendi nequit, solam emendationem esse finem vnicum,^{o)} si enim nulla emendationis spes adest, id quod ex delicti qualitate atque indole delinquentis colligendum est, alio modo securitati communi consuli debet. Recte distinguit *IULIANVS*^{o)} inter delicta, quae spem praebent reorum meliorum, neque curationem penitus

o) de Ira, Lib. I. cap. 5. *add. BECCARIA* in fin. lib. sui: *fit poena publica, velox, necessaria, quantum causae qualitas patitur, mirissima, delicto congrua*, qui ita omnia poenae requisita his comprehendit.

o) Quam opinionem defendit *D. RYSA* in lib. *Untersuchung der Wirkung öffentl. Strafen auf die Verbrecher und auf die Gesellschaften*,

o) De laud. *Constantii* Orat. II. pag. 89. edit. Spanh.



tus repudiant, et hominum insanabiliter peccantium, quibus scelerata, alios in posterum laedendi, admenda est, quod inprimis fit ipsius vitae iactura. *) Si enim ex malitia delinquentis metuendum est simile delictum, ex mente PLATONIS *) eiusmodi homini flagitioso non expedit, ut viuat, necesse est enim, ut male viuat, et alio loco *) hoc duplici modo prodesse, asserit, quia reliqui deterentur, ipsa vero ciuitas ab improbis liberatur. SENECA **) nobis viuus quasi coloribus depingit talem hominem deperditum, quem ita alloquitur: *tibi insanabilis est animus et sceleribus scelera contexens.* Paucis intersperlis, ita pergit: perbibisti nequitiam, et ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. Ipse *) alibi hac de re clarius mentem exponit, *si ex toto*, inquit, *eius sanitas desperata fuerit, eadem manu beneficium dabo omnibus, quando talibus ingenii vitae exitus remedium est, optimumque est obire ei, qui ad se nunquam rediturus est.* Quemadmodum enim immedicabile vulnus.

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur, ita scelerati, qui alia poena corrigi non possunt, ex societate, corpore morali, auclendi sunt, ne reliqua membra, adhuc integra, delictorum veneno inficiantur, integritatemque totius destruant. Egregie CICERO **) hac de re praecipit: *ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tanquam spiritu carere coeperunt, et nocent reliquis corporis partibus: sic ista in figura hominis feritas et belluae immanitas, a communi tanquam humanitate corporis segreganda est.* Et quamuis ex P. SVRI sententia *res bona sit, non exstirpare sceleratos, sed scelera*, haec tamen iustis limitibus circumscribenda est, quatenus aliae poenae vim habeant, securitatem omnium stabiliendi, et iam III. PÜTTMANNVS *) ex firmis rationibus deduxit, quatenus haec regula sit temperanda. Contendi

igitur

*) addit enim IULIANVS loc. cit. *τατοις οι νομοι θανατον λυσις των κακιων επανοησαν εις την των αλλων ωφελειαν.*

*) Gorg. p. 349. *ου αμεινον εστι ειν μοχθηρον ανθρωπον, κακιω γαρ ανωγειν εστι ειν.*

*) De Legg. Lib. IX. pag. 928 et pergit: *αλλη δε τατοις θανατος ελευθεριον των κακιων.* u) de Ira, Lib. I. c. 16.

*) De Benefic. Lib. VII. c. 20. quam sententiam IAMBELICHVS in Protrept. cap. 2. per hoc simile exprimit: *Καθαρον τῆ εμπενη βελτιον το κακιστου τῶ διακειμενον, καὶ τῶ μοχθηρῶ το τεθνηνασ τῶ ειν.*

*) De offic. Lib. III. c. 32. x) In opusc. iur. crim. Prolus. IX. p. 261.

igitur nequit, leges, quae poenam mortis irrogant, esse iniustas eodem modo, ut quae vindictam statuunt, poenasque publicas, malos homines reddere deteriores, et plura producere delicta. 2)

§. 27.

Poenae capitales contra jus naturae non sunt.

Iam ex argumentis antec. §phi deduci potest, poenas, quae adimunt vitam, iuri naturae consentaneas pronuntiari posse. Non defuerunt tamen DD. qui illas ei repugnare atque iniustas esse affirmarunt, ex quibus imprimis nominandus est LEYSERUS 2) et BECCARIA 3). Alii media via incedunt, et eas quidem plane non negant, necessarias tamen non esse statuunt, alii denique sub restrictione, si salus nationis sine iis constare non posset, illas admittunt. Sed paulisper rationes, ex quibus poenas capitales iuri naturae non adaequatas probare volunt, excutiamus. In primis vero obiciunt, homines in statu naturali ius non habere, sibi inuicem mortem inferendi, neminemque gaudere de vita sua disponendi facultate. Inde vltierius concludunt, hanc etiam nemini posse concedi, cum, quod ipse quis non habeat, in alterum transferre prohibeatur, potius fini conseruationis suamet ipsius esset contrarium, contendere, quemlibet consensu suo de vita disponendi facultatem, illamque adimendi, aliis concessisse. Sed dubia haec facilius dissolui possunt, si modo ad finem, ob quem homines communi socialis vitae vinculo sunt vniti, respiciamus. Societates enim communis tuendae securitatis causa inuitae consentur, in quibus singula membra tacite in omnia media conserferunt, ad hanc obtinendam necessaria. Salus singulorum subordinata est tranquillitati totius, et uti illi omnia conferre debent ad hanc amplificandam, ita contraria ex parte ipsi auctores non sunt illiciti facti, quo iura socialis vitae violant. Iam est haec naturae lex omnibus inscripta: *quod tibi fieri non vis, alteri non feceris*, contra quam si quis peccat, singulos laedendo, reliquorum simul turbat communem quietem. Inde ius pu-

B 2

niendi

y) Quam opinionem defendit D. RYSS in add. lib.

z) Sp. 567. m. 6. *ius naturae*, inquit, *si id recte inspiciamus, suadere videtur, ut non morre, sed alia poena, homicidae plectantur.*

a) de delict. §. 16. pag. 73. edit. de a. 1788.



niendi, non laeso solum, sed membris societatis, competens descendit, quae inuicem vnitis viribus laborare debent, vt integrum corpus securum praestetur. Ad hunc finem vero consequendum opus est interdum remediis violentioribus, ipsius laedentis vitae iactura coniunctis, si alio modo futurae laesiones praecaueri non possunt. Sed nos iam Spec. II. §. 10 et 11. rationes, ex quibus in statu naturali poenae humanae locus esse possit, adduximus, ad quas in praesenti pariter pro-uocamus, vt eo magis eluceat, poenas etiam capitales iam iuri naturae conuenire. Hoc vltimum modo probationis argumentum, in primis ex iure se defendendi, et talionis, desumendum, addimus, cui Viri Ill. a SODEN ^{b)} et PÜTTMANNVS ^{c)} subscripserunt. Quilibet enim vitam suam contra iniustum aggressorem et potest, et debet tueri, et si omittit hoc, sibi ipse iniuriam infert. Sed, si in eum statum redactus, quo imminetia vitae pericula a se remouere impeditur, si ex infidiis circumuentus, et summo bono, vita scilicet, priuatur, nonne tunc iustum atque aequum est, vt mors innocentis morte iniusti aggressoris expiatur? Et hoc ius vindicandi necem conuenit reliquis societatis membris, non solum vt laeso satisfiat, sed inprimis vt inuicem gaudeant securitate restituta, ne simile delictum in posterum sit metuendum. Sed dissentientes opponunt, vindictam laeso quidem competere, non vero aliis, in quos laesus eiusmodi ius transmittere non potuisset. Si vero in statu ciuitatis ius vitae et necis in superiorem iure translatum est, non video rationem, cur extra hunc statum illud societatis membris denegetur, quomodo enim ius, si illud ipsa antea non habuisset, superiori committere potuit. Ex quibus rationibus Ill. MICHAELIS ^{d)} etiam quaestionem, poenas capitales iuri naturae vtrum sint licitae? recte affirmauit; ita concludens, a quo non sum securus, illum in statu naturali remouere possum, et mirabundus quasi addit: *quomodo in Germania poenis capitalibus ciuitas carere possit? e)*

§. 28.

^{b)} loc. cit. §. 43. pag. 70.

^{c)} In Comment. über die öffentliche Vollstreckung der peinl. Strafen. Vid. et Ill. WIELAND in lib. egregio, Geist der peinlichen Gesetze. P. I, §. 316. N. VII. qui distincte philosophatur, ius naturale defensionis competere eodem modo integre societati, vti singulis eiusdem membris.

^{d)} In I. Mosf. P. IV. pag. 168. vid. et Versuch einer Anleitung zur Sittenlehre

§. 28.

De ratione poenarum, salua delinquentis vita, accuratius attendenda.

Vti iustitia poenarum capitalium iam ex iure naturae elucet, ita pariter ex eodem innotescit, iis solum esse posse locum in delictis atrocissimis, quibus haec poena grauissima respondet. At iura enim hominis connata, vita, vt maximum iure refertur, quotiesque quaestio de illius iactura incidit, non alia maioris momenti fingi potest, quam ob rem etiam in eiusmodi causis exactissima cognitio, et probatio omnibus numeris absoluta, requiritur. Qua de re merito Poeta, *f)* ita Aeneam loquentem, introducit: — — *neque enim leuia aut ludicra petuntur Praemia: sed Turni de vita et sanguine certant.* Hinc cum delicti grauitas, ex damno inde societati illato, sit ponderanda, hoc semper ejusmodi esse debet, vt etiam dispendio vitae aequiparari possit. Iniusum foret ipsa laesione maiorem poenam exigere, potius altera ad alteram se referre debet. Si igitur alio modo securitati omnium consulti potest, iniquum esset, reum malo afficere, quo bono priuatur, ex quo omnis humana felicitas censetur. Salutarem imprimis finem intendunt poenae quibus delinquentes ad operas publicas peragendas condemnantur, non praebent solum quotidie aliis publicum exemplum, sed et adhuc communi saluti inferunt, ac securitati, modo ita detineantur, vt in posterum aliis nocendi facultas sit iis adempta. Ita poenae carceris, ergastulique perpetui alios securos reddunt, quae praecipue tunc irrogandae sunt, si ex delinquentis indole colligi potest, emendationem sperari non posse. Quoties haec dubia videtur, eiusmodi poenas non pure ad certum tempus, sed sub conditione, si scilicet interea signa emendationis animi ediderit, declinare expedit, alios enim modo praestant temporariam securitatem. Experientia quotidiana docet, saepius eos, qui tempore praeterlapso ex carcere ergastuloque sunt dimissi, novis delictis rempublicam turbasse. Hoc modo societati, ipsique laeso, parum consilium, si postea maiora damna metuenda sunt ab eo, qui superata poena, minas, animumque vindictae, ipso facto est declaraturus.

B 3

Qua

lehre für alle Menschen, ohne Unterschied der Religionen, nebst einem Anhang von den Todesstrafen, Berl. 1783. P. IV. pag. 298.

e) Loc. cit. P. VI. in proleg. pag. 106 & 108.

f) VIRGILIUS AEN. Lib. 12. v. 764.



Qua propter eiusmodi coërcitiones eum in modum infligendae sunt, ut vim habeant finem poenarum consequendi, neque causam quasi impulsivam praebent delinquendi, aliosque ad scelera invitandi. Quod vero ista loca, quibus delinquentes securitatis causa detinentur, ita sint comparata, ut eorum valetudini haud damnum inferant, iam naturalis ratio atque aequitas suadet, legesque civiles non aliud sanciant, quam ob rem in Sax. in *Gen.* de a. 1770. et 1783. §. 14. sapientissime est constitutum, ut eiusmodi loca sint lucida, in altum exstructa, nec madida atque infecta.

§. 29.

Diversa, satisfactionis laeso debitae, notio disquiritur.

Maxime aequitati et iustitiae poenarum convenit, ut laeso satisfiat, cuius dignitas auctoritasque tuenda est, et quidem ex ea, quam GELLIVS ^{g)} assert, ratione, *ne praetermissa animadversio contentum eius pariat et honorem levet.* ^{h)} Haec satisfactio, laeso debita, cum ipsa poena coniuncta est, eamque semper ipse consequitur, post mortem adhuc, immo invitus, quamvis delinquenti iniuriam illatam remisit. Veteres Romani hanc laesi Manibus adhuc deberi credebant, quae etiam causa fuit *Seii Silianiani*, ex quo heres indignus hereditate iudicandus erat, qui mortem testatoris, violento modo occisi, non esset ultus. Alio tamen respectu in nonnullis delictis laesus, praeter publicam poenam, exigere potest actualem damni dati restitutionem, quoties ratione bonorum vel famae singulare sentit detrimentum. ⁱ⁾ Hanc satisfactionem privatam in significato specialiori Taurus philosophus apud GELL. l. c. dicit: *Τυμωγιαν*, in generali vero sub hac voce CLEMENS ALEXANDRINUS ^{j)} intelligit *κατὰ ἀνταπόδοσιν πρὸς τὸ χρεῖσμον καὶ κοινὴ καὶ ἰδίᾳ*, mali retributionem ad communem et propriam utilitatem factam

- g) *Noch. Att.* L. 6. c. 14. h) Inde ipsum vocabulum *τιμωγία* a *conservatione honoris* dictum fuisse, annotat GELLIVS l. cit.
- i) Ea videtur fuisse ratio, quod Romani delicta distinxerint in *publica* et *privata*, quae directe ad interesse privatorum vindicandum tendebant; quae tamen distinctio, cum omne delictum sit *publicum*, et directo laedat publicam securitatem, hodie vix suo destituitur. Vid. GRAVN *de supervac. delictor. divis. in publ. et privata moribus nostris.*
- k) In *Stromat.* Lib. 7. pag. 895. edit. PORTER.

ctam.) Simplex enim reparatio damni, est actus quo efficitur, vt detrimentum ex laesione illatum cesset. Poena non est, potius praeter poenam laeso adjudicari debet, damnum enim est quasi laesionis consecrarium, quod parit obligationem civilem, quae vulgo dicitur *interesse civile.*^{m)} Haec respicit solius laesi vtilitatem, poena ipsa vero vtilitatem quorumlibet, seu *interesse publicum*, quod in omni delicto attendi debet, et nunquam remitti potest, nec caeteri, eiusdem delicti complices, a poena liberantur, quamuis vnus alterue eadem iam sit affectus. Sed haec omnia aliter se habent in satisfactione priuata, ad quam, vti recte dicit QUISTORPIUS, ex *accidenti* modo respicitur, quatenus, vel illius renuntiatio a laeso non sit facta, vel penes laedentem adhuc stet, illam praestare, vel denique eiusmodi damnum sit, cuius restitutio et exigi et fieri possit. Interim pluribus de discrimine, quod inter satisfactionem *publicam* et *priuatam* intercedit, vid. PUFENDORF. in *I. N. et G. Lib. III. c. 1. §. 5.* et DARIUS *Inst. Ipd. vniuers. §. 330.* seqq.

§ 30.

Iuris naturae et Civilis praecepta de finibus poenarum conueniunt.

Cum placita iuris nat. ad finem conseruationis et securitatis communis obtinendae spectantia, sint iura immutabilia atque in perpetuum valitura, certo certius patet, poenarum in ciuitate constitendarum non alium finem esse, quam nos iuri naturae iam conuenientem, diiudicauimus. Leges positivae enim nihil, quod huic repugnat. disponere possunt, quippe quae, si sint iustae et perfectae, nisi debent naturali aequitate, atque ea modo latius determinare, quae praesentibus negotiis, pro mutata eorum conditione, sunt accommodanda.ⁿ⁾ Hinc Iulianus in *L. 2. §. 18. C. de vet. Iur. enucl.* recte dixit, *multas formas edere natura. novax deproperat, humani iuris conditio semper in infinitum decurrit.* Ita ius puniendi, quod iure nat. ipse laeso, eoue impedito, inuicem vnitae societatis membris, competet,

D In genere *τιμωριή* apud scriptores Graecos, PLATONEM, PLUTARCHVM, aliosque, denotat omnem poenam. ^{m)} Ita Proemia iur. Prov. Sax.: *mir dem Tode wetter man den Richter und büßet den Kläger*, hanc restitutionem non excludit, vti olim perperam illam interpretabantur. Vid. III. WIESANDI *obseru. Iur. crim. spec. IV. de hac regula.*

ⁿ⁾ vid. III. WIELAND in lib. cit. §. 4. pag. 5. et CICERO de *Legg. Lib. I. dicit:*



in ciuitate in eum translatum est, cui cura tuendae securitatis est commissa. Eadem manet semper et societatum, et ciuitatum constituendarum ratio, qua de causa ipse BECCARIA *ius humanum* describit, quod sit complexus iurium, a ciuibus in imperantem collatorum, vt ipse nomine populi de actionibus singulorum ad tuendam communem salutem statuatur. Sub hac conditione natio facultati, de iuribus suis disponendi, ipsa renuntiauit, ac superiori omnia media concessit ad hunc finem adimplendum atque amplificandum. Vigilare debet, ne delicta maneat impunita, teneatque iusta poena auctores suos, est enim iam vox naturae, qui mala alteri fecit, non debet indignari sustinere etiam ingrata. *) Attamen etiam rationi consentaneum est, in poenis infligendis mitiorem sequi sententiam, illasque non solius vindictae causa irrogare. Improbata vox est, et solo *Attila* digna, quam iactare consuevit: *quid forti suauius, quam vindictam manu quaerere? magnum munus a natura animum ultione satiare.* **) Generosi potius animi signum est, iniuriam illatam, salua publica securitate, remittere, ac contraria ex parte hoc malignae mentis indolem praebet, voluptatem ex poena et supplicio nocentium captare. Quam ob rem AUGUSTUS Imp: *) nomina reorum aboleuit, ex quorum *sordibus* voluptas inimicis quaereretur; quia inhumanum est, ex aliorum calamitate compendium sectari, ideoque poena, quae ob solam vindictam infligitur, est, teste HOBBSIO, solum *gloria et triumphus* animi. Tunc vero iustus poenae omnis modus seruabitur, si illius exactor haec aurea CLAUDIANI *) dicta ad animum reuocet, et sibi praecepta putet:

— — — *Diis proximus ille est*
Quem ratio non ira mouet: qui facta rependens
Consilio punire potest.


cit: lex est ratio summa, insita in natura, quae iubet ea quae faciendae sunt, prohibetque contraria. o) Quae EURIPIDES in *Hecuba*

v. 1250. seqq. ita exprimit: *Ἄλλ' ἔπειτα τὰ μὴ καλὰ πρῶσθεν ἐτόλμας Ἰσθῆδη καὶ τὰ μὴ φίλα* — eandemque aliis verbis PINDARVS *Nem. Od. 4. v. 52.* profert sententiam: *ἔπειτα πρῶσθεν τὰ καὶ ταῦτ' ἐόντα.*

p) Dicta eius exhibet JORNANDES *de rebus Geticis. Cap. 39.*

q) Vt SVETONIVS in eius vita, cap. 32. narrat, quo in loco *sordes*, denotant ipsum tristem habitum et squalorem, in quo eiusmodi rei versabantur, ad quem pariter alludit MARTIALIS, Lib. II. *Epiqr. 24. v. 1.*

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum, Squallidus haerebo pallidiorque reo.
 r) *De consul. Manlii, v. 225.*



vd18


ULB Halle
001 558 609

3



TA=OL







1798 7

32

OBSERVATIONVM
DE
POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX PLACI-
TIS IVRIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS
SPECIMEN VI.

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
CAROLO FRIDERICO
TRILLERO

PHILOSOPHIAE ET IVRIS DOCT. NEC NON POET. CAES. LAVR.

EX NVMERO EORVM
QVI SVB EIVS AVSPICIIS IN DISSERENDO ET SCRIBENDO
SE EXERCENT

DIE XXIII. NOVBR. A. R. S. MDCXCXV.

H. L. Q. C.

DISVTANDI CAUSA ERVDITORVM EXAMINI SVMMITTET
IOANNES ZACHARIAS HILLIGERVVS
NIEDERGOERSDORFIO - SAXO.

VITEBERGAE,
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.